

nes enim probantes contrarium de damnatis non concludunt pro existentibus in limbo, cum non sint in pœnis & prædictis miseris, sed tantummodò quòd careant visione beatifica.



DISPUTATIO TERTIA.  
DE VARIIS DISTINCTIONVM  
GENERIBVS.

**D**ISTINCTIO est veluti quedam entis proprietas, & idèò quandoquidem hætenus de veris entis proprietatibus diximus, nunc de minus proprijs consequenter videndum est.

Aperitur Disputationis  
status.

**D**ISTINCTIO mater est veritatis: sicut enim ex vero materno factus in lucem emittitur, ita ex distinctione multiplici, res obscuræ simæ sole clariore euadunt, & veritas ipsa elucescit.

Partitione prima quomodo varij variè loquantur de distinctionibus, nudè proferemus. In altera autem, an præter distinctionem realem & rationis danda sit quedam media, rationibus inuestigabimus.

S V M M A

Dicendorum in hac tertia Disputatione.

Numero primo: Variorum authorum modus loquendi de distinctionibus proponitur. Num. 2. Aperitur mens authoris circa distinctiones. Num. 3. Impugnatur distinctio ex natura rei à Thomistis. Num. 4. Defenditur distinctio ex natura rei à Scotistis. Num. 5. Respondetur ad obiectiones positæ à Thomistis. Num. 6. Respondetur ad fundamenta Scotistarum. Num. 7. Reducuntur ad verum sensum opiniones Thomistarum & Scotistarum.

Partitio I.

De mente variorum authorum circa distinctiones.

**E**X Authoribus, quos præ manibus habemus: hi ex professo de distinctionibus scripsere. Ant. sirec. Ant. Trombeta: Steph. Brulifer. Guil. Bernard. Joan. de Vallone, faber fauentinus, & Meurissius: hi omnes Minoritæ; Ægid. Moncurtius ordinis nostri: Alexander Aquilinus Bononiensis Philosophus, & hi omnes pro Scotistis formalitatibus firmiter stant, peculiaritè opuscula sub titulo de formalitatibus Scoti, edidère: excepto Meurissio, qui de illis agit libro 2. *Metaph. parte 4.* vltra hos de distinctionibus differunt Suarez *romo 1. Metaph. disput. 7.* Fonseca, Mazius, Vradus, & alij plures in *Met.*

*Primo* referemus doctrinam Thomistarum circa distinctiones; deinde quid de illis dicant Suarez, Mendoza, Fonseca, & Aquilinus; demùm formalitates Scotisticas late perferabimur.

Hæc ergo est ex Mazio, in omnibus Thomista, Thomistarum vera de distinctionibus opinio. Duo genera distinctionum ponunt, scilicet rei & rationis, & non plura: quod sic probant. Tot sunt genera distinctionum, quot sunt genera entis; sed tantùm sunt duo genera entis, nimirum ens rei & ens rationis ex *Arist. 6. Met. cap. ultimo*, diuidente ens in illud, quod habet esse in anima, & in illud, quod habet esse extra animam, ergo tantùm erunt duo genera distinctionum, scilicet realis & rationis. Confirmatur; quia distinctio est passio entis; sed proprietates non possunt latius patere, quàm eorum subiecta, ergo tot erunt genera distinctionum quot sunt genera entis, & non plura, neque pauciora.

Attamen à Thomistis subdiuiduntur hæc genera in alia membra: distinctio enim diuiditur in distinctionem rei, quæ est inter rem, & rem qualis est distinctio, quæ est inter Petrum & Paulum, & in distinctionem rei, quæ est inter ea, quæ subiecto vel materia sunt vnum numero, & differunt tamen quidditatiuè distinctione; quam distinctionem reperiri aucto inter actionem & passionem, sunt enim eadem subiecto, nam idem motus est actio, & idem est passio, alia tamen est definitio actionis, & alia passionis: quam distinctionem alij vocant distinctionem rei formalem.

Teste eodem Mazio Caietanus *1. parte q. 3. a. 3.* diuidit distinctionem realem in distinctionem rei inter rem & rem, vt inter Petrum & Paulum: & inter includens & includum intrinsecè, vt inter hominem & animal; homo enim includit intrinsecè rationalitatem, quam non includit animal: & inter includens & includum extrinsecè, vt inter suppositum & naturam, v.g. inter Paulum & humanitatem.

Subdiuidunt etiam Thomistæ distinctionem rationis in distinctionem rationis ratiocinantis, quæ est quando aliqua distinguuntur solo intellectu, nullo existente fundamento illius distinctionis in re, talis est distinctio eiusdem à seipso, v.g. distinctio Petri à Petro: & in distinctionem rationis ratiocinatæ, quæ intercedit inter illa, quæ solo intellectu actualiter distinguuntur, est tamen in ipsis rebus fundamentum talis distinctionis: sic secundum ipsos Thomistæ distinguuntur in homine attributa essentialia illius, nempe corpus animatum, & animal; nam actualiter hæc, solo intellectu distin-

Quid sentiant Thomistæ.

Num. 1. Variorum authorum modus loquendi de distinctis.